



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Svsanna Virg. Mart.11. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

1. Aug. Quid tendis pedem ultra te? cadere vis, non ascen-  
dere, à gradu incipe. & ascendisti. Aug. epist. 18.

S. SVSANNA VIRC. MART.

11. Augusti.

**V** Nam lex vetus nobis SVSANNAM laudat, pu-  
diciæ matronalis exemplar; multò rectiùs  
nos alteram, virginitatis speculum & post sangui-  
nem pro Christo fufum longè pulchriorem illà  
alterà. Quare oculos etiam Maximiani in se, sed  
longè antè Christi rapuit; ejus thalamo ut ser-  
varet sese, illius amores contempfit. Quid, quòd  
eos, qui conciliare SVSANNAM Maximiano adla-  
borarunt, priùs SVSANNA Christo conciliavit;  
Eam ob rem cum grave virgini certamen immi-  
neret, ab Imperatrice Serenà (Christo clam jam  
tunc addicta hæc erat) in aulam evocata est. Ibi  
cum totos dies precibus se & adhortationibus  
mutuis armassent, in pugnam denique proitura  
SVSANNA domum concessit. Nec multò post ad-  
fuit Maximianus & malis auspiciis amoris ædes  
castas necquicquam oppugnavit. Nam rectiùs  
SVSANNA Angeli ductu pugnavit, qui ab ædibus  
repulit profanum. Successit Maximiano Imp. Dio-  
cletianus, Macedonio misso, qui ad Deorum sa-  
crificium velut ad fœdus invitaret tam fortiter  
decertantem. Sed nimirum geminum hostem  
triumphare etiam hæc SVSANNA debebat. Et verò  
triumphavit, rectiusque Deo ipsam hui affli-  
ctam demonis statuam sacrificavit. Mox eidem  
post multa verbera gladio cæsa sanguinem etiam  
suum litavit. Istum peplo suo excepit Serena, do-  
mumque veluti ingentem thesaurum repottavit.  
Et reverà purpam, qualem nunquam antehac



etsi Imperatrix, & in eâ tot gemmas, quot guttas portabat. Ex Surio.

*O anima, quæ in te Christum habes, attende tibi, tibi ipsi vaca: immortalis est Christus sponsus tuus; cave eum dejeras, ne ab eo derelicta diligas inimicum tuum ab omni justitia pulchritudine remotissimum S. Ephrem de exercitat.*

S. CLARA V. 12. Augusti

**F**RANCISCI illustris partus vergo CLARA est, mater eadem omnium virginum, quæ Francisci institutû æmulantur, jam antè parenti suæ, quam nasceretur, à Christo è cruce laudata. Ergo unicùm sexûs sui miraculum ea facere molles virgunculas docuit, quæ multi in viris miramur, pauci imitamur. Asperrimam vitæ rationem, atque ultimam, quam in ordinem suum invenit, paupertatem cordi DEO esse vel tunc probavit, quando abundare in vacuo etiam vase oleum fecit, & dimidium panem quinquaginta omnino virginibus sufficere. Neque erravero, puto, si Moyfi etiam feminam æquiparavero. Certè obfidione gravi cùm Assisium cingeretur, precibus ante Eucharisticum epulum CLARA depugnans omnes in fugam hostes egit, certiorque de victoria ab ipsomet sponso Christo est facta. Ab hoc aliàs nunc ad nascentis cunas, nunc ad patientis tormenta spectanda cùm evocata esset, Crucis deinceps signo ita usa est, ut contra morbos Alexiteriorum, contra orci minas Panopliæ vicem esset. Iam moriens uti è terris cum purpurato natu summum Pont. ita è cælis cum candido virginum agmine virginum Reginam, & cum hoc summum Numen ad se pertraxit; itaque in cælo